DE CEREBROSIS NONNULLIS MEDICIS IN HIPPOCRATIS DOCTRINAM…

Giovanni Piacentini

DE CEREBROSIS NONNULLIS MEDICIS

IN

HIPPOCRATIS DOCTRINAM OBTRECTATORIBUS

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE ASSEQUENDAM

PROPONIT

JOANNES PIACENTINI

PATAVINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVIII

Infanda videri res pro certo debet quorumdam medicorum audacia, aut potius ignorantia, qui alicujus theoriae, aut hypotheseos lenocinio speciosisque mentis idolis illaqueati aut decepti Hippocratis scientiam ceu futilem ac periculosam mordaci stylo probare conati fuere. Ne verba faciam de Leonardo a Capua tot antiquorum contemptore bilioso, in mentem habui hodierna die, Professores atque auditores humanissimi inter recentiores medicos Rasorium (1) enumerare, qui pro obscuranda infirmandaque illius fama tam inania protulit argumenta. Et quamvis clarissimus Broussais Hippocratis errores nobis ostenderit, nihilo tamen secius hoc pacto asseruit: »Il est clair que les écrits du père de la »médecine contiennent des grandes et belles vé-»rités, quelques peintures animées, des certains

(1) Il preteso genio d' Ippocrate.

nétats pathologiques .... » (1). Mirum etiam probrosumque est, quemdam medicum nuperrime inaudita cum arrogantia et ruditate paene divinam Rasorii mentem sesquipedalia verba et ampullas projiciendo magnificasse, ubi *Del preteso genio d'Ippocrate* a Rasorio edito sermonem habuit. Hujusmodi animi deliramentis, quae seria refutatione digna non videntur, generatim respondere mihi fas sit: nonne Hippocrates primum influxum aeris, aquarum, climatis, morum, vitae generis in morborum causis efficiendis explanavit? Ecquis eo malius essentiale discrimen adtulit incolarum Asiae atque Europae? non ne ipse differentiam symptomatum juxta causas enucleavit, errores scholae Gnidi vitando, quae nimis subtiliter morbos in tot multiplices species distribuit? ecquis illo accuratius de semiotica pertractavit? quid dicam de aphorismis ingennum specimen solidumque monumentum observationum fere semper constantium? Quid de coacis praenotionibus? Quid ausus est Rasorius Hippocrati objicere ignorantiam in physica, chemica et anatome, quae vix iis temporibus scientiae limina attigerant? Homines, inquit jure ac merito clarissimus hujus Archigymnasii

(1) Examen des doctrines médicales et des systèmes de Nosologie. III. Ed. T. I. Paris 1827.

professor Federigo (1), juxta aetatem, qua ipsi floruerunt, judicandi sunt. Sed haec nimis generatim protuli; oportet ergo ut brevem quamdam analysim hippocraticae doctrinae instituam, atque ideo eo magis itali Baglivii effatum probari possit. » Penes Hippocratem summa potestas »esto, ad eundem cuilibet provocare jus esto. »Sophistarum captionibus abstinendo, curandi le»ges ab Hippocrate dictatore petunto (2) ». Non immerito etiam Baco de Verulamio pronunciavit, inter causas retardati progressus medicae artis neglectum studium fuisse historias medicas hippocratico more scribendi.

Non haesit Rasorius asserere Hippocratem nihil in physica scientia intellexisse. Ne verba faciam de theoria elementari, in qua Xenophanis, Melissi et Empedoclis opinionibus refutatis, statuit non mere corpora ab igne, aere, aqua et humo conflari, verum etiam ab ipsorum elementorum collatione atque permixtione exoriri, perpendemus hic nonnullas physices ideas; ab illis, quae nostris etiam temporibus communiter amplectuntur, parum discrepantes. Cum sapientem acerrimae mentis suae ope non latuit, aeris et

(1) Ved. Saggio sulle opere mediche del dott. Gio. Rasori. Venezia 1813.

(2) Georgii Baglivii opera omnia medico-practica et anatomica, epilogus legum medicarum pag. 487.

aquae fluiditatem ab igne repetendam esse, quod in opere *De flatibus* plane demonstravit. In tractatu *De natura pueri* pneuma corporum calentium a circumstanti atmosphaera pendere opinatur, cui respondet hodierna die, uti reor: In combustione corpora oxygenium ab aere attrahunt. Ipse etiam perpetui in altioribus universi regionibus motus causam aetherem (1) esse credit, quem centralis terrae ignis emanationem declaravit: hoc celeberrimae recentiorum geologorum theoriae quidquid sapiunt. Quid vero dicam de ipsius physiologiae vegetabilis notionibus? Nonnulla de vegetatione, absorptione, fructificatione, insitione principia etiam hisce temporibus spernenda haud essent. Non ne Hippocrates plantas animalibus aequiparavit, unde tot ac tanta novit physiologiae ipsius phaenomena? Plantis enim proprium tribuit calorem atque humiditatem, a quorum symmetria vis vitalis earum promovet incrementum. » Et oportet (2) »arbori non duo calida simul accedere, neque »duo frigida simul si sana esse debet. Verum si »quidem ex superna parte calliditatem, ex inferna frigiditatem ipsi accedere oportet, et viceversa.... Quemadmodum homini, ingestis cibis in

(1) Apud Hippocratem or, pneuma, aether, ignis idem sonant.

(2) Hipp. De natura pueri.

»ventrem, qui dum concoquuntur, calefaciunt, »perfrigerationem a potu facere oportet, sic et »arbori contrarium rependi oportet ex inferna »parte ad supernam, et vicissim ». Invenies itaque apud phytologiae scriptores, humorem a radicibus absorptum a calore rarefieri, sursum pelli, per noctis refrigerationem condensari, atque tali pacto novum absorberi. »Malpighi l'at»tribuait (ait Richard (1), dum varias exponeret »circulationis theorias) à la rarefaction, et à la »condensation alternative de la sève par la cha»leur ». Statuit praeterea ex atmosphaera vegetabiles nutrimentum attrahere, radices absorptioni inservire, atque perennem vegetabilium circulationem. »Radices ubi attraxerint, arbori »transmittunt, et arbor vicissim radicibus. Au»gescit arbor et in supernam et infernam par»tem, propterea quod alimentum ex inferna et »superna ipsi accedit ». Exinde recens philosophus Bonnet asserit, vegetabiles uti in terra, ita fere in aere sistere, folia ramis adesse, ut radiculae radicibus, atque ex atmosphaera nutrimentum attrahere. In plantis etiam vasa existere judicavit. »Progressu autem temporis venae »in ipsa arbore dilatatae pinguem et crassam in-

(1) Nouveaux élements de botanique pag. 75. Bruxelles 1837.

»fluxionem ex terra in ipsam faciunt «. Silentio praetercam brevitatis gratia ipsius theoriam de plantarum insitione, deque ipsarum fructificandi ratione, quam a lucis influxu et solis calore pendere autnmavit.

Jure ac merito inferre possumus Hippocratem etiam aliquid in zoologia edoctum fuisse; nam Winkelmann asserit, zoologiam atque intimam animalium cognitionem antiquissimis temporibus in Graecia philosophiae aeque ac bonarum artium subjectum effloruisse. Adde etiam Democritum, Hippocratis institutorem atque sodalem, juxta Plinii atque Aeliani sententiam in anatome comparata maxime versatum fuisse, dum optima de cervo atque chamaeleonte scripserit.

Mirari etiam nos debemus Rasorium Hippocrati anatomes ignorantiam crimini dedisse. In temporum historiis parum versari procul dubio visus est, nam Aelianus nobis refert, suo tempore Athenis legem extitisse, quae cadavera humana venerari imperabat; de hac ipsa lege Euripides in sua Antigone mentionem facit. Galenus opinatur Asclepiadis sectatores probe humani corporis structuram calluisse, atque Hippocrati laudem tribuit, primitus ipsam ad scientiae limina evexisse. Verum scholae Alexandrinae detectiones anatomicae, si ad Coum sapientem non

pertinent, in hippocraticis operibus passim reperiuntur. Quidquid Empedocles et Alcmaeon in hac scientia noverant, id Hippocratem latuisse rationi consentaneum non videtur. Empedocli illustres tribuuntur detectiones, inter quas recenseri meretur organi auditus coclea. Alcmaeon vero ipse primus ductum invenit, cui in posterum tubae eustachianae nomen impositum fuit. In dubium etiam revocare licet, utrum omnes detectiones Empedocli et Alcmaeoni tribuendae sint. Ita opinatur illustris Puccinotti (1) dum de Democrito et Empedocle sermo haberet: »..... »malagevole è a giudicare in tempi così remoti, »di cui fossero certe trovate verità, quando l'uno »poteva valersi de' pensamenti o de' trovati del- »l'altro, e molte volte insieme disputarsi la glo- »ria d'una scoperta. Che se ciò non apparisce »leggendone partitamente le memorie e le vite, »deriva dalla boria degli scrittori che d'ogni in- »venzione intendono dar merito a quello intor- »no al quale favellano ec. ». Verum etiam Jordani sententia dubium hoc firmare videtur. Et re quidem vera, cum ipse de Scinà memoriis sermo haberet, opinatur Empedoclem jonico potius dialecto, illo Agrigenti posthabito, opera sua exarasse, ex eo quod magis jonicum extra

(1) Collezione delle opere medic. V. I. 28.

Graeciam coli noverat, cui tantam Homerus, Herodotus et Hippocrates conciliarunt celebritatem. In opere *De corde* idea existit de ipsius valvulis, quarum detectio Erisistrato tribuitur. Quales fuerunt Hippocratis in osteologis notiones, tractatus *De articulationibus et fracturis* abunde demonstrat. Imperfectae sane erant ipsius ideae de nervis, musculis atque vasis, quod ab exposita lege repetendum. Verum hoc nos de insigni illius ingenio docet, in re medica enim adeo versatus fuit, quin ipsi anatomicae auxilium praebuerint notiones. Sufficit ad summam ipsi in anatome venerationem conciliandam celeberrimum nostri senis monitum, oportere scilicet, ut anatomici ad varietates formae, deviationes atque positiones normales singularium partium attentionem habeant prae primis. Extat hoc anatomes illius pathologicae fundamentum, quae arctissimo cum medicina jungitur vinculo.

Magni pariter faciendae ipsius psychologiae ideae: »Quapropter existimo cerebrum intelligentiae ac prudentiae internuntium esse », ait Cous sapiens. Quamvis ipse rationalem intelligentiam eminenter activam perspexisset, nihilominus rationis evolutionem a sensationibus repetit.... »Cor quidem et praecordia maxime sentiunt, sapientia tamen minime participant, sed omnium horum cerebrum causa existit». Non-

nullas Hippocratis psychologiae opiniones praestantiores id temporis auctores amplectuntur. Richeraud enim amorem et odium in corde residere autumavit. Nuperrime etiam Akermann cogitavit ex corde nervum intercostalem originem sumere, atque Canabis ratus est praeter sensus externos, etiam viscere thoracis et abdominis ipsius nervi ope impressiones quasdam cerebro mittere. Cum enim istae ab ipsorum organorum motu intimo pendeant, per quem functiones absolvuntur, nonnullorum instinctus causam sistunt; inde ex. gr. neonati ore papillam mammae recipiunt, atque lac sugunt. Ecce igitur physica anima, vel conservatrix providentia, seu vis naturae medicatrix Hippocratis. Quid vero dicam de legibus facultatis sentiendi ab ipso statutis? »Consensus unus, consentientia omnia«. Quare nostri physiologi defendunt, partem quamlibet, etsi vitae manifestatione destitutam, nihilominus sentire, moveri, etque propria ratione vivere; vim vitalem in omnibus partibus ita modificari, ut, quamvis sejunctae videantur, ad functionum conservationem conferant. Nonnulli Darwin tribuerunt statuisse primum magnum et universalem, magnae et universalis sensationis nisum locum habere non posse, quam etiam *irritationis* defensores amplexi sunt opinionem. Sed Hippocrates jam scri-

psit: » Ambae partes non possunt dolere simul, »duobus doloribus simul orientibus vehementior »obscurat alterum » (1). Sed lex haec non solum physiologiam spectat, verum etiam ad pathologiam et praxim neque extenditur. In scrophulosis enim partes vicissim, rarissime vero duae simul dolent, inflammatione afficiuntur atque suppurant.

In gravissimo opere *De aere, locis et aquis*, unde Montesquieu principia illa eduxit, quae suum Legum Spiritum illustrarunt, statuit noster sapiens, variam pro climatibus sentiendi facultatem, exinde medicina legislationis at politicae auxiliatrix. Etenim si verum est spiritus characterem atque animi motus maxime pro variis climatibus differre, etiam leges hisce animi motibus atque characteri accommodari debent. Sufficeret hoc solum opus, ut Hippocrates immortalitati commendaretur. Juvat hic ad sententiam hanc firmandam nostri Federigo (2) verba referre: » Sì: egli è anzi dal trattato *De aere* ec. »che deve caratterizzarsi Ippocrate per uno dei »più grandi filosofi e medici osservatori, che ap»parterrà sempre a qualunque nazione, ed a qua»lunqua secolo, ad onta delle più rumorose sco-

(1) Hipp. aphor. XLVI.

(2) Sulle opere mediche del dott. Giovanni Rasori pag. 14. Venezia 1813.

»perte e novità di tutti i secoli ». Videbatur hodiernae nevrologiae esse sympathiae doctrinam fundare. Sed ille sapiens quin ipsi anatomicae observationes opitularentur aliquid, mirabilia in hac disciplina novit. Qua de re physiologi eo magis ipsi devicti sunt, comprehendunt enim: nervos uti absoluta sympathiae instrumenta haberi non posse. Hoc exempli ergo in alicujus artus musculis observatur, qui etsi ab eodem nervo filamentis insigniantur, nullus tamen inter ipsos extat consensus, dum vero partes, quae nullo immediato nectuntur nexu, magna gaudent sympathia. Diligens observatio consensuum Hippocratem edocuit, quorum nonnullos »e di»recto, alios vero supra infra, infra supra ap»pellavit ». Ipse sympathiam, quae genitalia inter pectus, mammas, vocis organon, nec non cutem inter et intestina intercedit, optime novit, quod sequentia abunde demonstrant. » Cum te»stis a tussi intumescit, memoriam renovat so»cietatis pectoris, mammarum, geniturae et vo»cis. Asthmaticis dysuria superveniens bonum»; unde Baglivius: »Asthmata dysuriae et arthriti»des mutantur ad invicem. Qui articulari mor»bo detentus intestini dolore dextra parte ve»xabatur, levius habebat: ubi vero hic curatus »fuit, magis dolebat ». Baglivius qui eorundem consensuum et sympathiarum summo vacavit

studio, semper harum annotationum veritatem confirmavit, atque medicis in hac disciplina Hippocratis animadversiones commendavit: »Quare rogo medicos ut bos Hippocratis textus »attente considerent, et inde discant, quam necessaria sit haec de consensu partium tractatio ».

Neminem certe latet gravissima illa Coi sapientis sententia: » Unum hominis alimentum »dum plures existunt alimentorum species ». Omnes etiam physiologi hodierna die defendunt: quamvis alimenta differre, nihilo tamen secius ab ipsis organorum vim, eadem nutrientia principia eruere. Etenim quamvis vegetabilibus solummodo aut animalibus vescamur cibis, nunquam intimam organorum compagem variare noscimus.

Medicinae parens optima de respiratione scripta nobis reliquit, nonnullae enim ipsius de hac gravissima functione ideae, nunc etiam admittuntur. Asserunt physiologi, pulmones uti chemicum excipulum haberi non posse, ipsi enim pro vitali qua insigniuntur energia in aerem agunt, quique sanguini per specialem ipsorum vim assimilatur. Secus enim, ait Richerand, oxygenium in textum pulmonarem inductum, cadavera in vitam vocare valeret. Sagacissimus senex pulmonis actioni in inspiratum aerem, vitae alimenti nomen tribuit, cujus digestio illi

ciborum in ventriculo aequiparavit: » Corpora »ehim omnia tum hominum tum reliquorum »quoque animantium a triplici nutrimento sus»tentantur. Horum autem nutrimentorum no»mina haec sunt, cibus, potus, spiritus ». Aerem graecus philosophus uti caloris innati ministrum declaravit, quique calor vitae fundamentum sistit. Tali igitur pacto novit ex momentaneo aeris defectu mortem citissime exoriri, diutius vero ceteris corpus posse alimentis carere.

Magni praeterea faciendum quidquid nobis de diaetetica scriptum reliquit. Ingeniosum vero generationis systema celebrari meretur, nam diu in scholis cultum, a Buffon et Fray suffultum illustratumque fuit. Aetatum etiam, grave physiologiae argumentum, praecipuas causas, ipsarumque in vegetativam relativamque vitam influxum ipse descripsit, periodicas vero vitae variationes a solis lunaeque periodis in functiones organicas agentibus derivat: » Plerumque »enim hominis natura universi potestatem non »superat ». Hanc Testa in gravissimo opere *Dei periodi vitali*, et Darwin secuti sunt opinionem.

Quamvis duo artis salutaris fundamenta, observatio nempe et ratiocinium, quod ab ipsa pendere debet; nihilominus ut recte observare possimus, non solum oculis indigemus, verum

etiam in omnibus illis auxiliaribus disciplinis, quae ad medicam scientiam viam sternunt, nos imbutos esse decet. Nunquam certe Hippocrates observatorum princeps evasisset illis cognitionibus destitutus, quas huc usque strictim exposuimus. Quare ipse non nudus sterilisque, ut nonnulli opinantur, practicus fuit, sed in omnibus, pro suis temporibus, peritissimus. Perspexit illustris ille sapiens salutis aeque ac morbi causas neque reperiri neque investigari posse, nisi prius definirentur effectus. Etenim causarum harum actio nunquam theoreticae demonstrationis evaderet fundamentum, si harum peculiares proprietates ab aequa comparatione eductae, atque vires ab ipsis manantes laterent: secus causarum judicium neque ad probabilia, veritatis loco, perductum fuisset, cum plena effectnum cognitione destitueretur. Quare Hippocrates contemptis hypothesibus celeberrimum illud statnit aphorisma: » Oculis autem magis credere oportet, quam opinionibus «. Semioticam ergo in morborum cognitione ut principale statuit fundamentum; in qua scientia patientissimus senex ita versatus fuit, ut Boerhaavius asserere non dubitaverit, Hippocratem tot in morbis phaenomena observasse ac descripsisse, quot singillatim atque simul omnium temporum medici nunquam inspexere. Attentionem ad modos il-

los praeterea convertit, quibus humana natura parere videtur; morborum itaque notavit *periodos*, iteratisque experimentis novit, ipsorum principium, incrementum, finem, atque cujusque mirabili cum solertia signa descripsit. Cum enim determinatos, simplicium morborum natura, modos servet, atque suas ad *pepasmum* usque exerceat functiones, quod statutis tantum diebus juxta febrium paroxysmum observatur; ex hac observatione criticorum dierum doctrinam deprompsit Hippocrates, quam vero nonnulli immerito respuunt. Darwin non solum regulare in continuis febribus crisium tempus uti indubium defendit; imò a solis lunaeque repetit influxu, cui viventium systemata obtemperare videntur. »Nè questa idea (ait Rasorius) sarà per »essere così agevolmente riputata assurda e ri»dicola dai medici colti ed illuminati: Essi veg»gono bene che qui non si tratta delle chimere »dell' astrologia, nè dell' *actio in distahs* dei fi»sici peripatetici. Si tratta di vedere se l'attra»zione che que' due corpi celesti esercitano tan»to visibilmente sul nostro globo, come appare »dall' elevare che fanno a tanta altezza la massa »enorme delle acque dell' Oceanò, abbia o no al»cun effetto anche sui sistemi viventi sottoposti »essi pure alle leggi della gravità, e quale sia »quest'effetto relativamente alle leggi della vita».

Compertum etiam noster sapiens habuit criticorum dierum regulas aliquoties fallere, adnotavit etiam morbis crises finem ponere, recidivosque facile evadere, dum ipsorum sanatio sine his contigerit: successionum exinde metastasiumque instituit doctrinam, quo arduiorem, eo magis practicis proficuam. Omnium phaenomenorum cognitio, quae antecedunt, comitantur atque sequuntur morbos, ad evidentium causarum inquisitionem ipsum deduxit, sive ad aetiologiam empiricam, quae arctissimum, dum sensibus innitatur, symptomata inter et curandi indicationem vinculum sistit. Inter causas magni faciendas, aerem et alimenta recensuit, perflantes, dum oriuntur atque occidunt astra, ventos notavit, quarumdam constellationum et solstitiorum tempus, atque praecipue variam tempestatum durationem designavit, unde morborum varietates derivat. In maximam medicinae redundaret utilitatem, si hodierna die, ut morborum notio expleretur, ipsorumque differentia clarior evaderet, aetiologia empirica ab Hippocrate fundata, ridiculis quarumdam scholarum atque tyronum *diathesimetris* subrogaretur, qui futile causarum evidentium criterium credunt. Ipsi enim, postea quam fere omnibus, quae organismum sepiunt, *contrastimulis*, atque omnibus paene morbis phlogoseos diploma largiti fuerint, nesciunt

miselli relationem causam inter et affectum statuere, novitate inde naturam humanam criminantur.

Quibus laudibus insignem Coum medicum prosequemur, cum ipse primus epidemicorum morborum scientiam, atque annuae constitutionis fundamina posuerit? Novit ille quosdam morbos varia anni temporá secum ferre; aeris mutationes, uti frigus et calor excedens etc., magnam ipsorum eodem tempore et loco cohortem gignere. Cum praeterea intellectu consequi non potuerit, cur ob aëris constitutionem solummodo, individua quaedam morbis afficerentur prae aliis, suasit medicis perspicacissimus senex, aetati, sexui, temperamentis, moribus atque aegrotantium exercitiis rationem habere. Neque a physicis atmosphaerae qualitatibus originem morbis tribuit, imo etiam chemiae cognitionibus destitutus, a terrae exhalationibus impuris pendere credidit.

Ecquis illo in morborum historiis puritate atque integritate praestantior? Quid vero de prognosticis dicam, in qua gravissima disciplina adeo versatus fuit? »Qui bene callet Hippocratem, ait Baglivius, felix erit in prognosi, aliter »minime «. Ipse etiam curandi praeceptorum, indicationum scilicet, primus institutor. Hippocrates nunquam juxta hypotheticam vel proxi-

mam tantum causam indicationes statuit, verum ex occasionali causa et essentiali perspicuoque symptomate ipsas depromsit. Medicis enim attentionem suadet, atque naturae molimina explorare jubet. Pauca sed indubia, vulgaria sed apta propinat medicamina, atque rectum magni habet ipsorum usum. Quod in medicina hodie magis emendari meretur, indicationes sunt, quae nunc, phaenomena illius activitatis naturalis, qua vis medicatrix morbos solvit, non imitantur, sed speciosis innixae hypothesibus, ipsarum sunt consectariae.

Curandi indicationes juxta graviora symptomata, atque alia signa praevalentia, quae morbi genium atque ipsius dignitas demonstrant, statuere debemus. Ipsae etiam pro causae occasionalis vel immediatae notione definiuntur, quae per analogiam vel inductionem deduci potest ab illo, qui maximum influxus physicorum agentium atque anatomes pathologicae studio operam dedit. Hisce indicationibus ad institutionem versis axiomata practicae scientiae innituntur, quibus tantam sibi venerationem Hippocrates promeruit.

Nostrae hic orationi finem ponamus. Vidimus quanta illustris ille senex tot ante saecula philosophiae et medicinae noverit, quae a recentioribus etiam admissis, fundamine hodierna die

nonnullis praebent theoriis. Mirari debemus nos etiam, tot in medicina, anatomes, chemiae et physiologiae cognitionibus destitutum, veritates statuisse. Hippocrates naturae observationem medicia uti medicinae fundamentum commendavit, qua ratione cum experimentis ipsa innitatur, ad perfectionem accedere debebat. Quod si ejus sectatores (uti Sprenghel optime declaravit) ipsum vestigiis prosecuti essent, Graecorum medicina, eo perfectionis gradu devenisset, ut eam vix animo concipere possemus. Si igitur ab Hippocrate secedere, atque anatomes et physiologiae imperfectio maxima, Graecorum medicinam mancam reddidit, lucolentos ideo itala, Hippocrate duce, profectus faciet medicina, cui tot tantaque anatome et physiologia praebet subsidia. Pudeat audaces, qui Hippocratis aetatem uti obscuram, ipsamque medicinae et philosophiae infantiam declarant; consulant ipsi historias temporum et suum in animum inducant, id temporis in Graecia summum scientiae atque artes perfectionis fastigium tetigisse.

THESES DEFENDENDAE

I.

Hippocraticae medicinae studium, neque vile, neque superstitiosum videri debet.

II.

Quoties medicina per theorias in pejus ruit, maximo semper cum emolumento ad Hippocratis principia conversa fuit.

III.

Quaevis medica disciplina prorsus erronea, nisi ratiocinandi deducendique rationem ab hippocratica apprehendat empiria.

IV.

Hippocratis semiotica artis medicae fundamentum.

V.

Hippocratis prognoses, praesertim in morbis acutis, fere constanter plurium saeculorum experientia rite confirmantur.

VI.

Vera Italorum medica doctrina hippocratica est.

VII.

Una et indivisa excitabilitas revera non existit.

VIII.

Diathesis mutatio non est, ut nonnulli recentiores judicant. chimaericum somnium.

IX.

Divisio pharmacorum in mere stimulantia atque deprimentia, rationi atque experientiae adversatur.

X.

Cortex peruvianus ejusdemque praeparata ad deprimentium classem minime pertinent.

XI.

Camphorae actio plurima ob experimenta instituta deprimens nequaquam est.

XII.

Scorbutus non est neque phlebitis, neque angioitis.